DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM DE

HEPATITIDE

COMPLECTENS.

AUCTORE JACOBO AUSTIN.

PRAEFANDA.

JECUR duplici inflammationis generi opportunum est; nimirum inflammatione modo acuta, modo vetusta sive chronica plectitur. De utriusque signis, finibus, causis, curatione aliisque propriis quae memoria digna videantur summos, mihi medicinae ambituro honores quam paucissimis disputare in animo est. Eoque potius medicos hodiernos haec valetudinis adversae genera perscrutari et

A



[1820]

cognoscere oportet, quod luxus aliaeque causae, nuper effecerunt ut crebriora et acerbiora quam olim Britannis et aliis gentibus Europaeis eveniant. Ex quo sane arma Britannica Indiam Orientalem domuerint ingens multitudo nostratum opes et copias petitura, patrio solo relicto, huc confugere consuevit. Insueti coeli istius torridi, nec raro intemperantiae omnigenae dediti, facile in jecinoris inflammationem, quae alios quoque et exitiosissimos morbos genitura est, incidunt.

Nullubi equidem terrarum, *Hepatitis* ignota est; quanquam saepius et gravius populos circulo aequinoctiali propinquos aggrediatur. Acuta nominatur, si quando validos plenos necdum senio aliundeve fractos affligit; si porro membranae circumjectae inflammatio potissimum incumbit. Quod si *Hepatitis* seniores, imbecillos, aestu, vinolentia, similibusve causis conquassatos male habet, vetusta sive *chronica* appellatur; quinetiam, telae reticulatae penetralibus jecinoris propriae contingere habetur.

CULLENUS morbum propositum CLASSI *Pyrexiae*, ORDINIQUE *phlegmasiae* subjecit, itaque definivit " Pyrexia ; hypochondrii " dextri tensio et dolor; saepe pungens pleuri- " tici instar saepius obtusus; dolor ad clavicu- " lam et summum humeri dextri; decubitus " in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; tus- " sis sicca; vomitus; singultus." Proximum est ut, haecce praefatus, indicia acutae jecinoris inflammationis exponam.

DE INDICIIS.

Inflammatio jecinoris acuta coepisse solet ex artubus inhorrescentibus, viribus solutis animi languore, aliisque notis, quales viscera inflammata antecedunt. Paulo postea, summa cutis incalescit, et dolor saevus fere acutus jecinori insidet; qui marginibus costarum imarum e dextra parte subnixus exinde dorsi ad spinam fertur, ad humerum et claviculam dextra adscensurus. Idem haud, uti dolor *rheumatismo* natus, vagatur; at iisdem sedibus usque ad finitam inflammationem inhaeret; manu opprimente intenditur; porro inter alte inspirandum, tussiendum, aegrove in latus sinistrum cubante, nunquam non ingravescit. Arteriae concitantur, nimirum durius et citius et fortius quam ex consuetudine saliunt. Æger tussi crebra et sonora sputi experte, vexatur; vix autem priusquam dolor horas jam quadraginta octo permanserit; id quod Pember-

TONUS luculenter notavit. Spiritus trahitur et emittitur aegre, nec citra gravem cruciatum; homoque frequenter singultit. Alvus multo saepissime pigerrima est; dejectiones fere sunt parcae, durae, subalbidae et solito foetore carent. Alias alvus cita et biliosa fluit. Urina redditur crocea et justo parcior, felle scilicet mixta. Nausea et vomitus frequenter admodum torquent; hic insuper non raro biliosus. Os, lingua, et fauces vehementer inarescunt: sitisque ideo impatibilis et difficulter restinguenda urget. Homo cibos acceptos fastidit et male concoquit: lingua sorde candida aut subflava foedatur. Interdum oculi et summa cutis lutilescunt; vel, uti alias loquar, *icterus* nota est inflammationis, quam prosequor; praesertim, si alvus torpet durumque, album et exiguum excernit. Nosse tamen juvat, auriginem nequaquam semper omnibus *Hepatitide* plexis accidere; eandemque subesse aut deficere, prout inflammetur pars jecinoris concava, nempe fistulis bilis ductricibus proxima, aut altera gibba septo transverso contermina.

Medici omnes haud minus antiqui quam hodierni et recentiores, uni proprietati *Hepatitidis* institerunt; nempe notarunt multum interesse, prout pars gibba aut concava inflammetur; et si duorum aegrotantium uni illa, alteri hac afficiatur, hos vix eadem valetudinis adversae generi conflictari videri. Si pars convexa prae altera laborat, spirandi difficultas acerbissima, tussis sputi vacua, singultus, dolor acutus humeri et jecoris ipsius perquam aegro in latus sanum decumbente exasperatus, arteriaeque concitatae signa praecipua esse solent. Contra si cui pars cava hujus visceris inflammatione cruciatur, dolor ad spinam dorsi tendit: actio ventriculi magis perturbatur; id quod nausea et vomitus satis testantur: alvus pertinacior est, et cutis summa frequentius aurescit. Ne multa, inflammata parte, quae sursum spectat, febris fere ardentior saevit; et actiones, quae vitales nuncupantur, gravius impediuntur; concava parte autem implicata, signa virium concocricium torpentium et fellis in sanguinem delati caeteris praepollent. Quanquam uti

supra retuli, membranae jecori circumductae inflammatio acuta, telae reticulatae *chronica*, insidere a CULLENO existimatur, scire tamen licet cadavera hisce morbis assumptorum scalpello patefacta et introspecta minime id comprobare; imo vero contrarium potius docere. Nunquam enim hoc viscus non plus minusve amplificatur acuta inflammatione tentatum: nunquam ejus vasa non turgent plusquam fert natura. Conjicere licet hisce perspectis telam reticulatam, quae vasa et nervos jecinoris colligat, haud secus atque exteram membranam inflammatione acuta laborantibus mali esse sedem.

DE HEPATITIDIS CHRONICÆ SIGNIS.

Convenit inter auctores clarissimos et jecinoris morborum scientissimos, inflammationem ejusdem *chronicam*, acuta longe crebriorem esse, Indias aliasque regiones coelo torrido subjectas accolentibus. Cujus rei nequaquam obscura ratio esse videtur: Europaei enim, qui sedibus patriis ablegati, illuc se recipiunt, ardoribus parum sueti, epulisque lautioribus se dedere soliti, cito inde infirmantur; id quod corpora *chronicae* inflammationi partis cujusvis subeundae aptat: aestus simul *Hepatitidis* causae excitanti valentissimae est.

Saepe eo insidiatur et signis tam obscuris denunciatur, ut diu medicum vel peritissimum lateat, nec prius extitisse cognoscatur, quam, cadavere absumpti patefacto, jecur suppurasse, amplificatum aut duratum invenerimus. Ineunte hoc morbo, sensus gravi-

tatis et dolor hebetior ad *hypochondrium* dextrum referuntur. Hic ad humerum dextrum pertinet; vel interdum humerus non nisi manu oppressus dolet; modo insuper potius torpere vel gravari quam dolore cruciari aegro videtur. Æger cibos simul fastidit et sumptos nonnunquam evomit. Ventriculi inflatio et aliae notae cibi male concocti urgent. Alvus pigerrima exiguum, durum et fere albidum excernit: hoc tamen perpetuum non est: nonnunquam enim dejectiones sunt glutinosae et male olent. Urina excernitur rufa et parcior; ex eaque subsidit natura ruberrima; et ardoris sensus inter mingendum irritat. Summa cutis aspera contrectanti videtur; lingua sorde candida foedatur, et sapor injucundus os offendit. Notae *dyspepsiae* nunc ingravescunt; in tantum sane, ut aeger et medicus aliquando huc, non ad jecur vitiosum mala omnia referant.

Arteriae saliunt inaequaliter et citius quam fert natura; circiter nonagies intra

sexagesimam horae partem, uti PEMBERTONUS scribit. Haud raro sanguis e venis narium intestini et ventriculi profunditur; papulae quoque purpureae nasum et frontem maculare comperiuntur. Hoc morbo inveterascente, corpus demum insigniter emacrescit; et tandem venter hydrope diro tumet; certeve, hic exitus frequentissimus est et eheu! lethalis.

DE FINIBUS.

Inflammatio jecoris resolutione, suppuratione, duritie et gangraena finiri potest.

De Resolutione.—Resolutionem mox venturam denuntiat cursus sanguinis sua sponte e naribus aut imi intestini venis; aut alvus biliosa et citior; vel sudor ubique aequalis et tepidus; vel demum urina multa, crassa, ex qua plurimum rufi subsidit.

De Suppuratione.—Si inflammatio medicinae auxiliis idoneis et tempestivis parum aut non omnino cedit, SUPPURATIONEM instare veri est simile. Hanc vero jam incepisse judicamus, si dolor remissior fit, artus invicem modo horrent et frigent, alias exardent; arteriae molliter et lentius moveri coeperint. Multiplex autem et incertus eventus esse consuevit; prout haec illave pars jecinoris suppuraverit. Si quidem membranae cujusvis *serosae* inflammatae est *fibrinam organi-*

cam, quae vocatur, secernere, cujus ministerio cum partibus vicinis committatur; hinc jecur inflammatione plexum frequenter praeter naturam proximis visceribus adhaerescit; atque illi potissimum, quod parti jecinoris inflammatae conterminum sit. Quibusdam igitur pus, ventriculo et jecinore cohaerentibus in illum profluit evomendum; alias, in intestinum *duodenum* aut *colon* dejiciendum: aliis jecinore et septo transverso (id est membranis *serosis* eadem cingentibus) inter se conglutinatis, pus in pectus confluit; vel si praeter haec *pleura* costarum propria alteri pulmoni circumjectae haereat, sequitur ut pus in fistulas spiritales prorumpat extussiendum. Quin etiam fieri potest, ut, parte suppurante cum vena cava commissa homo subitâ morte multetur. Denique nulla pars huic visceri propinqua pus ratione jam exposita accipere non potest, id quod exitum bonum aut malum habebit, pro ejus partis officiis et situ.

De Duritie.—Jecur inflammatum saepe

demum indurescit; praesertim vero inflammatio *chronica* huc pervenire solet prae acuta. Medici olim hoc vitium perperam, uti conjicio, *scirrhum* nominabant; neque enim jecur duratum fabricam *scirrhi* sinceri propriam ostendit, nec in *carcinoma* desinit; neque iisdem remediis quibus haec mala terrentia, debellatur. Jecur duratum interdum grandius est, at frequenter extenuatur. Si ampliatur, manu medici contrectante, tuber durum costis imis e parte dextra subnixum percipi consuevit; quod si moles imminuitur, medicus tamen solertior hoc vitium subesse perspiciet, in animo habitis inflammatione praegressa acuta aut vetusta, corporis indole, victusque et vitae genere praegresso; maximeque morbis secuturis. Scire enim juvat jecur duritie amplificatum plures morbos progignere posse; quorum aliqui fere semper superveniunt. His vero sunt, *ascites, anasarca, icterus, haematemesis, haemorrhois* et *dyspepsia*. Patet hisce probe perspectis jecur durum vix artis Apollinaris peritiorem latere, aut fallere posse.

Quod ad *gangraenam,* perraro inflammatio jecinoris huc tendit. Haud equidem ignoro Sanderium et alios contendere dolorem ex improviso quiescentem quibusdam aegris gangraenam supervenisse arguere; nosse tamen oportet, jecinoris cum aliis visceribus nervorum pauperibus commune esse potius suppurare, quam gangraena dirui.

DE SECTIONE CADAVERUM.

Corporibus mortuorum scalpello patefactis, jecur multa sibi praefert ultra consuetudinem. Aliquando purpureum esse conspicitur. Subinde, praeter naturam candet, aequo simul durius. Nonnunquam membrana extima et ligamenta ex eadem duplice et producta confecta, justo crassiora reperiuntur. Fere semper jecur, id quod sane jam memoravi, praeter naturam vicinis agglutinatur; saepenumero, abscessus variae magnitudinis ejus penetralibus insident. Aliquando, et praesertim ubi malus corporis habitus adest, aut in terris coelo torrido objectis, pus acerrimum jecur penitus exedit, imo vero circumjecta omnia, quae tangat, erodit. LINDIUS, inter scribendum de morbis coeli ardentis propriis, meminit costarum imarum cartilagines, vel has ipsas subinde quasi exesas et dissolutas apparuisse.

Quinetiam, saepe calculi biliosi vesica fellis, aut bilis fistulis ductricibus inclusi inveniuntur. Nonnunquam *hydatides* jecori inhaerent; nec desunt alia vitia ex quibus aliqua inflammationem intulere, quaedam secuta sunt; nonnulla denique adventitia sunt existimanda.

DE CAUSIS ABDITIS.

Nullubi terrarum, jecur inflammationi non patet. At vero praecipue regiones circulo aequinoctiali vicinas, et maxime Indiam Occidentalem, affectat. Neuter sexuum, nulla aetas immunis esse videtur; mulieres tamen et infantes minus quam mares et adulti, opportuni esse feruntur. Sanguinei laute vivere et potus meracos largius ingurgitare soliti, ignavi simul, facile admota causa excitante, in hunc morbum incidunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Inflammationem jecinoris movent coelum ardens Indiarum proprium, et potissimum Orientalis; fatigatio quaesitior, maximeque ibidem; motus animi intentiores, veluti ira, gaudium. Veri est simile hasce causas omnes non solum cor arterias genusque nervosum concitare, verum etiam proprie jecinori ipsi esse incitamento et facere ut plus solito fellis secernatur. Res est notissima Europeos, qui sedibus patriis relictis, ad Indiam Orientalem se receperint multo, saepius quam aborigines jecinoris inflammatione tentari. Ibi enim ob causas plures cibo simplici parcoque vescuntur; nempe oryza, lacte et aqua. Hanc sane vivendi rationem superstitio ista singularis, cui hic populus se dedit suggerit et praecipit. GREGORIUS inter praelegendum meminit quosdam praefectos militares Britannicos bello Indico exardente jecinore vitioso confectos postea revalescere

coepisse, quam ab hoste capti frugibus oryza et lacte vesci cogerentur; qui antea, carnibus conditis et vinis meracis largius ingestis, suis mox perituri videbantur. Victus improviso e tenui et parco opimus et lautior quibusdam hancinflammationem crevisse videtur. GIRDLESTONUS inter scribendum de morbo proposito enarrat, Indis Madrasianis mense Octobre, annoque MDCCLXXXII, fame pene confectis, Anglos ibi commoratos tantae aerumnae misertos, multos infantum inedia marcentium aluisse: quibus exinde diu insuetis ciborum fortiorum venter intumuit jecore grandiori et duriori facto.

DE DIAGNOSI.

Inflammatio jecinoris eo pulmonis et ventriculi inflammationem, musculos vicinos *Rheumatismo* implicitos, atque *Dyspepsiam* simulat, ut interdum vel rei medici peritior consilii dubius haerere possit. Quomodo ab horum singulis discernatur, paucis exponere nitar.

De Hepatitide et Pneumonia invicem discernendis.—Cui pulmo inflammatur, ei alterutrum laterum pectoris dolet atque cubanti in partem affectam, non vero manu premente, dolor acutior. Contra, jecinore inflammato, dolor *hypochondrio* dextro insidet, aegro in latus sanum jacente et opprimente manu auctus; et ad humerum dextrum ascendit. Praeter haec, tussis pulmone inflammato inspiranti semper movetur et exasperatur, et saepe pituitam modoque cruorem exscreari facit: *hepatitide* autem tor-

quente, tussis clarior sputo fere vacat. Denique jecinore inflammato, febris levior exercet, cor et arteriae minus concitantur, vomitus que singultus et quaedam *icteri* notae haud raro vexant. Quibus omnibus perspectis, dubitare vixlicebit.

De Gastritide et Hepatitide invicem dignoscendis. Dolor *epigastrio* infixus, vires insigniter labefactatae, ingesti cibi protinus vomitu ejecti, angor quaesitissimus notaeque jecinoris inflammati propriae pene nullae facile *gastritidem* denuntiant et a morbo, quem prosequimur, discernunt.

De Rheumatismo partibus jecori vicinis infesto et Hepatitide invicem discernendis.—Quoties *rheumatismus* cuivis parti trunci corporis contingit, inflammationem visceris eidem contermini simulare consuevit; nec vero solerti dijudicare difficile erit. Si musculi jecori vicini *rheumatismo* crucientur, dolor vagus non uni sedi incumbit; motu positu ve mutato exacerbatur; tussis et vo-

mitus atque aliae benemultae *hepatitidis* notae desunt; febris mitior ardet. Denique, musculi visceribus circumjecti et artuum proprii vicibus alternis conflictari solent.

De Dyspepsia et Hepatitide invicem discernendis.—*Dyspepsia* et jecinoris inflammatio vetusta persaepe tam inter se affines sunt ut vel expertus alteram pro altera habeat; nec mirum hoc videbitur, si in animo teneatur notas omnes *dyspepsiae* fere *hepaticis* evenire. Quod si praeter eas doloris sensus vel gravitatis presso *hypochondrio* angit, si humerus dolet, torpet aut non nisi pressus dolere sentitur, si cutis summa et oculi lutilescunt; si vultus luridus est; denique si aeger atra bile imbuitur; jam ebrietate, luxu, aestu, aliundeve sibi vires contriverit: haec omnia vel aliqua eorum satis superque jecur molarum sedem et fontem esse testantur.

DE PROGNOSI.

De eventu judicandum erit, cognitis et perspectis corporis indole, aetate, vitae genere praegresso, signis ipsis: nec parvi intererit, quamdiu mala jam traxerint.

Si remediis idoneis, concessis signa paulatim mitescunt, si sudor tepidus ubique summam cutem humectat; si vultus nitere coepit, et sanguis e naribus aliisve partibus sponte prorumpit; sive alvus biliosa fluit, aut urina redditur multa et crassa; jure salutem futuram auguramur.

Quod si febris sensim increscit; si spirandi difficultas et tussis ingravescunt; si dolor hebes aut gravitas jecinori incumbere incipit: si corpus invicem modo exardet modo horret, aut sudore gelido humet; in praecipiti aegrum versari manifestum.

DE CURATIONE.

Jam ineunte inflammatione acuta, summa ope nitendum est ut quam primum ad resolutionem perveniatur. Hunc in finem venas vacuefieri decebit; plus minusve, prout edoceant vires, aetas, arteriarum motus, dolor et quae sunt hujusmodi. Ista quoque indicabunt vena brachii incideretur, necne. Quod si minus id facere liceat, nunquam non opus erit partem ipsam hirudinibus et cucurbitulis cruentis deplere.

Exculceratio in inflammationem jecinoris uti aliorum viscerum acutam plurimum valet. Saunderius contendit recte ni fallor plura *emplastra e meloe vesicatorio,* aliud ex alio, crebro admota plusquam unicum opitulari.

Alvus quoque expurganda, salibus mediis parce et frequenter datis, et multa aqua so-

lutis. Ex his *sulphas magnesiae* optime convenit. Inter principia sane, *submurias hydrargyri* utiliter praecipitur in eundem finem; quo tamen semel ingesto, dein salibus utendum. SUDORIS MOVENTIA haud leviter juvabunt. *Vinum tartratis antimonii, aqua acetatis ammoniae* et potus dilutiores et tepidi huc satis respondebunt.

Si haece curatio minus valeat, et suppuratio ventura esse appareat, medici est efficere ut abscessus ad exteriora feratur, si id fieri possit. Vires igitur refocillandae sunt victu apto et quibusdam medicamentis. Si quidem imbecillitas semper facit ut suppuratio in ulcus malum abeat aliquantum vini meraci et carnis dari debet: *acidum nitricum* proderit; et ni ventriculus infirmus prohibeat, praeparatis ex cortice *cinchonae officinalis* utendum. *Opium* interdum bene accedit. Quo abscessus maturetur et ad exteriora tendat, summa cutis ei proxima *cataplasmate* emolliente mulcenda. Abscessus jam prominens et fluctuans ope scalpelli in-

cidendus, quo puri incluso exitus patescat. Partem imam secari oportebit: nec prius hiatus occludendus, quam pus ex toto effluxerit.

De Hydrargyro ministrando.—Quando aut quousque praeparatis ex *hydrargyro* uti deceat, quomodove auxilietur, parum inter medicos convenit. Suspicor complures hoc remedium aequo pluris habuisse. Iis assentior, qui opinantur, notas acutae inflammationis antea esse subigendas quam ad idem confugiamus. Satius est cutem *unguento hydrargyri* illinere, quam praeparata ex hoc metallo ingerere. Malo quoque partem dolentem quam aliam quamvis eodem fricare; si quidem ipsa frictio vasis absorbentibus jecinoris propriis incitandis aliquid opis pollicetur. Eoque unguentum praeparatis in ventriculum sumptis anteferendum, quod etiamsi actio ejus sit tardior valetudinem tamen multo minus conterit. Si dolor non *hypochondrium* illini sinit, unguentum axillae femorive adhibendum.

Acidum nitricum aliquando in inflammationem jecinoris vetustam juvit. Scottius, medicus qui diu summa laude apud Bombay medicinam fecit, idem permagni aestimat. Pembertonus affirmat sibi contigisse *Leontodo Taraxaco* summo fructu uti, non solum jecinore indurato, verum etiam malis quibusdam vetustioribus ventriculi urgentibus. Jubet libram aquae quae fervens ejus radici infusa fuerat quotidie ingeri.

Qui diu terras caelo torrido praeditas accoluerint, persaepe jecinore vitioso torquentur. Hos juvabit caelum frigidiori mutare. Aquae Cheltenhamienses multum laudantur. Si quid proficiunt, id facultati, qua pollent alvi purgandae tribuendum videtur. Cibis his optime convenit simplex, concoctu facilis, qui satis alat, nec ventriculum praegravet. Potui aptissimum est vinum dilutius. Liquores meraciores fugiendi.

FINIS.